



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Scintillæ Ignatianæ, Sive Sancti Ignatii De Loyola, Societatis Jesu Fundatoris Apophthegmata Sacra**

**Hevenesi, Gábor**

**Coloniæ, 1715**

**VD18 10988289**

25. Januarij. Diabolus, cùm adoriri quempiam, exagitaréque infestius cupit,  
nocturnum tempus maximè observat. S. Ignat. in Exercit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50423)

24. Januarij.

*Nihil diu praeponderat veritati ; oppugnari  
quidem potest , expugnari non potest. S.  
Ignat. ap. Nolarci.*

**O**ptimus colorum candor est. Fraus &  
dolus nulli patrocinator, & nive so-  
lis radiis decoctâ sordium acervus , qui  
diu latuerat, apparet ; sic à veritate, pulsus  
fraudibus, doli deteguntur.

Ut sol nebulis tectus latet quidem , ali-  
has tandem decoquit, & puriori luce serene-  
rior aspicitur : ita pressa licet aliquam diu  
abscondatur veritas, erumpit tandem.

Optima Politica sinceritas est. Alba  
mens nunquam erubescit , ubi vice versa  
in ruborem cogitur deprehensa falsitas.  
Nihil fædius, fraude detectâ.

Versipellis se prius fallit , quàm alios ;  
dum enim alteri parat foveam , ipse prior  
in eam incidit. Justa pœna Talionis est, ut  
iisdem machinis obruatur iniquitas , quas  
aliis evertendis destinavit. Qui ambulat  
simpliciter, ambulat confidenter.

25. Januarij.

*Diabolus, cum adoriri quempiam, exagita-  
reque*

*reque infestius cupit, nocturnum tempus  
maximè observat. S. Ignat. in Exercit.*

**I**llud vigiliam inter & somnum quasi  
crepusculum, ut dubiæ lucis, ita dubiæ  
voluntatis tempus, opus habet custodiâ,  
ibi velut ex insidiis aggreditur hostis è  
somno excitatum, ut ex improvise figat  
aculeum.

Miser diabolus! aperto Marte congre-  
ditur, latebras quærit; ut fur, noctem ob-  
servat. Quid ages? solâ contra hunc furem  
opus est vigiliantiâ, fugit, si se sciat obser-  
vari.

Diei primitias occupat; ut enim dimidi-  
um facti, qui bene cœpit, habet; sic à malo,  
quod absit, diei principio, ægre melior exi-  
tus posset expectari. Prima debentur Pri-  
mo.

Quàm sollicitus in nostri ruinam est  
dæmon? dies illi non sufficit, noctes addit,  
præoccupat vigiliis. Væ segni, & in aurem  
utramque sine sui cura, sine superûm præ-  
sidiis, dormienti !

26. Januarij.

*Abstinere à libus non solum liberale est, &  
Christianâ pace dignum, sed & fructuo-  
sum. S. Ignat. vitæ l. 4. §. 7.*